

**MONACHORUM
 PROFESSORUM CARTUSIAE
 B.V. MARIAE DE CAPELLÂ,
 ET ILLORUM QUI IN ILLÂ PRIORIS**

MUNUS EGERUNT.

Ab initio Fundationis ejusdem Domûs A°1314
 ad Annum 1762

Praemonitum

Impossible fuit in hoc opere reclūm et verum Ordinem exhibere professionis aut Obitūs uniuscujusque Religiosi, quia defuerunt ad hoc necessaria Documenta; de est etiam Cartarum Capituli nostri generalis maxima pars. Quae hic notavimus, non levi studio excerptus ex Libris et Litteris Domus in Procuraturâ; ex antiquis Calendarijs, in quibus quidem dies obitūs describuntur sed omissi sunt anni : et ex antiquis Chronicis Capellae quorum primum auctore V.P. Domno Arnoldo Beeltrisen in multis vitiosum invenimus, nec minum; nam ad Procuraturam accessum bonus Pater non habebat, et varia refert ex auditu: secundum, optimè scriptum est a V.P. Joanne Ammonio de Harenâ Confratre nostro, sicut alter; et fidele credendum est; nam omnium fere quae scripsit Testis fuit oculatus.

Scribunt omnes quod prima Colonia vel primi Patres

nostri Domum hanc noviter fundatam inhabitaturi
venerint ex Domo nostrâ de Macourt, tunc propè Va=
lencenas; sed qui illi fuerint aut quibus vocati nomi
nibus vel an hic manserint et defuncti sint, vel redie-
rint nusquam invenire potuimus nec hic nec Valencenis:
tacet super hoc omnino auctor antiquioris Chronicorum
nec quidem in Cathalogo quem refert Religiosorum
illorum qui ante annum 1390 defuncti sunt, tales dis=
tinguit a caeteris. In tantâ obscuritate cum melius
nec possimus nec valeamus, coacti fuimus sequi aucto=
ris primi illius Chronicorum Cathalogum praedictum quoad
Defunctos illos ante annum 1390, uno vel altero excep=

to quos adhuc in sequenti saeculo vixisse invenimus.

D. Robertus primus Prior hujus Domûs
primum hic locum obtineat. Is prout scribit Beeltrus
professus erat Domûs Vallis S^t Petri. hic A° 1314, die
martis post S. Nicolaum hyemalem, munitus litteris
commendatitijs Mariae Viduae Gerardi Dni Angensis, et
Gerardi de Sottengien perrexit Cameracum sollicitatus.
consensum Episcopi et Abbatis S. Auberti pro erectione
novae Domûs in hoc loco, quorum Litteras inde retulit
obyt 17 Februarij quo anno Deus scit. fuit hic Prior
per tres annos.

2530

HFM 109

D. Joannes de Meldert prof D.... quondam Pri=
or hujus Domûs ob. 26 septembbris. Anno 1317 erat
30 may Prior hujus Domûs Joannes qui ille suponitur multis ratio=
nibus. hic idem erat Prior in Zeelhem Anno 1330

V(1670) NCM 016

D. Joannes Adam prof. D.... initio fundatio=

nis hic etiam praefuit obyt 15 Xbris

(1350/?) HFM 053

D. Joannes de Bouchoute prof ut credimus hujus

(1417) d M 120

Domūs in qua annis 1319 et 1321 Procuraturam gerebat et ad Prioratum pervenit paulo post. erat autem in hāc Domo Prior Anno 1328 dum in adventu Dni cum Priore Domūs Antverpiae a Reverendo Patre Generali commissionem accepit examinandi possessiones et Redditus quos viri nobilis Dominus de Diest cum socio D° Joanne de Ranchoven offerebant pro fundatione Domūs novae propè Diesthemium : et Dom Joannes Gheylinck Consiliarius Comitis Flandriae pro fundatione alterius Domūs propè Gerardimontem. quā ultimā ex parte ordinis acceptatā verò similiter eo missus fuit Prior, nam in Sylvā S. Martini Prior erat anno 1332 usque ad 1335 inclusivè, obyt autem 4^a aprilis.

D. Salomon hic numeratur Prior cujus obitus in
Calendaris ad 20^m. Februarij.

(2575) HFM 110

D. Colardus alias Nicolaus Deken, Angiensis prof°
hujus Domūs a cuius matre D^a Catarina de Ameyden multa
mobilia recepimus, fuit hujus Domūs Procurator ab anno
1329 ad annum usque 1340 et forsitan ultrà obitus hujus
in calendario 26^o novembris.

(2212) ChM 113

D. Symon Prior Capellae anno 1343 ad an-
num usque et fortè ultrà 1347. Obyt 24 may

(2528) NCM 127

D. Gerardus de Santen alias Sants prof. hujus
Domūs, receptus anno 1338 professus anno sequenti 1339.
ante ingressum ordinis Clericus Saecularis notabilis. Pro=
curator erat anno 1344 usque 1347 et forsitan ulterius.
hic scripsit originales Libros de Redditibus et bonis quae
tunc possidebamus nitidissimo charactere qui adhuc sunt
in Procuraturā. correxit item Bibliam quae dicebatur
antiqua, et scripsit egregius scriptor multos pulchros
Libros etiam cantuales. habitavit in Zelhem et in Domo
Leody in quā obysse creditur; anno 1371, 15^a martij.

(795) ChM 073

D. Joannes de Hontscote Prior hujus Domūs
cujus obitus invenitur in Calendario ad 16^o February.

✓ (1605) ChM 157

Dabo hic caeteros hujus Domūs Piores quorum tem=
pus praesidentiae dubium est qui tamen scribuntur in

kalendario antiquiore hujus Domūs hoc saeculo fuisse
Priores.

D. Joannes Heiste professus Domūs Vallis gratae propè Brugas, Prior hujus Domūs qui obit 7^a January.

V (4603) by M 131

D. Jacobus de Liedekerke prof. Domūs S^{te} Aldengundis propè S^m Audonarum Prior hujus Domūs, sub quo inita est associatio hujus Domūs cum Domo Sylvae S^ti Martini sub eorum Priore D. Joanne Dotel circa Pascha anno 1377 et 14^a July anno 1378 associatio nostra cum Domo Gandensi sub illorum Priore D^o Joanne de Stoc. Unus D. Jacobus erat hic Prior annis 1358, 1359 et 1360 forsitan idem est. obit pro ut nostrum Kalendarium 24 January (credo) Prior in Domo suae professionis.

(1267) G.M. 89

D. Petrus Naghel Alostanus prof. hujus Domūs circā annum 1343 nam hoc anno invenimus cum hic fuisse adhuc in habitu saeculari vel Clericali, quia seribitur quod fuerit ante ordinis ingressum Clericus. hunc videmus hujus Domūs Priorem annis 1370 et 1373 quibus consideratis debet praecedens D. Jacobus fuisse hic secundō Prior constitutus quod est possibile. obit Petrus hic 1^a may 1395.

(2412) Ch. M. 2e6

D. Petrus de Prussia prof. Domūs Leodij Prior hujus Domūs simul et Rector consitus Domūs tunc pauperis Sylvae S. Martini. de eo dubitatur an idem non sit quem Raissius ad 2^m Martij vocat anonymum, qui causâ orti Schismatis in Ecclesiā A° 1373 Gandavum fugit quae Civitas prout Cartusia nostra. partes tenebat Urbani Pontificis. Calendarium nostrum habet obitum hujus Petri ad 2 Augusti, et invenimus alibi annum scilicet 1388.

(2422) Li. M. 138

D. Jacobus Naghel Alostanus et frater supradicti Petri Naghel, hic non invenitur Cathalogo Priorum quem habet Chronicon, sed est in Registro nostro antiquarum Litterarum una Littera quae est de anno 1395 quae vocat illum hujus Domūs Priorem, unde inter illos numerandus est. Anno 1370 erat hic Conventualis et anno 1390 Procurator.

(1276) Ch. M. 111

et hujus Domus professus. Obitum ejus notat kalendarium ad 5^a Januarij.

D. Lambertus Prior hujus Domus ad cuius nomen non reflexi quia obscuré scriptum in antiquo Calendario, cui hic locum dedi. obyt 21 Xbris. apparet alterius Domus professus.

D. Joannes Helleman prof. et Procurator hujus Domus A° 1381 ad annum 1393 et forsitan ultrà obitus ejus non est in Calendario verosimiliter oblitus scribi: nisi fortè fuerit D Joannes de Angià quem habet Calendarium 5^a Aprilis.

Consequenter hic describam Religiosos nostros qui ante 1390 hic sunt defuncti qui sunt praeter illum D. Joannem de Angia sequentes.

D. Egidius de Allodio vicarius in hâc Domo, anno 1373, qui obijt 15 septembris.

D. Egidius de Lietsele vel Sietsele. Monachus hujus Domus qui obyt 19 Marty

D. Henricus de Westphalia obyt 15 7bris.

D. Hertgerus monachus hujus D. ob 3^a May.

D. Jacobus de Gallo prof hujus Domus qui a° 1373 hic monachus sacerdos vocatur : ob. 1^a Augusti

D. Joannes Fabri prof hujus Domus qui obyt 4^a Octobris.

D. Joannes de Maldegem prof hujus Domus, hunc putat D auctor antiqui Chronici hic fuisse Priorrem sed erratum credimus. ob. 15 Aprilis.

D. Joannes Montis alias Moens professus hujus Domus qui obyt 12 July.

D. Joannes Scotere vel Scotte prof hujus Domus qui obyt 5 Juny

D. Joannes Samuel prof hujus D. obyt 28 Juny.

(1470) NCM 019

(1584) CM 136

(578) CM 043

(600) CM 046

(1093) CM 091

? CM 092

(1244) CM 103

(1531) CM 130

V (1611) CM 077

✓ CM 148

V (1682) CM 159

CM 158

1 ^m Martij	D. Conrardus cujus obitum habet kalendarium ad	(47c)	ch n° 37
	D. Lucas qui obyt 19 July	(2038?)	ch n° 182
	D. Joannes Reperman kalendarium habet yperman monachus prof ^s hujus Domūs qui obijt 24 Novembris.	(1730)	ch n° 155
	D. Judocus monachus hujus Domūs obyt 24 Octob.	(1933)	ch n° 171
	D. Rumoldus monach. hujus D. obyt 24 Septemb.	(2572)	ch n° 145
	D. Theodoricus monach hujus D. obyt 25 Decemb.	(2626)	ch n° 214
	D. Wilhelmus Tarwenschoof monachus hujus Dom qui in kalendario obitum habet 22 Juny.	(966)	ch n° 84
	D. Adam Lupus qui defunctā uxore et relictis in saeculo filiabus suis hic monachus professus est. Anni= versarium earum habetur in antiquo Calfendario 28 ^a 7bris obyt ille 29 Novembris.	(8)	ch n° 61
	D. Bartholomeus monachus hujus D. obijt 19 Febrār.	(289)	ch n° 25
	D. Theodoricus Buck prof ^s . hujus Domūs posteā Prior D. Sylvae S. Martini. obijt 8 Februarij .1370 .	(2634)	ch n° 220
	D. Ghysbertus aliàs Gillebertus de masmene monachus hujus Domūs qui obyt in kalendario 29 May.	(814)	ch n° 35
	D. Nicolaus Clericus Redditus hujus D. ob. 24 9bris.	(2183)	ch n° 62
	D. Theodoricus Monachus hujus Domūs qui obyt in die natalis Domini 25 Xbris.	(2626)	ch n° 214
	Existimamus omnes istos hujus Domūs fuisse professos, eo quod kalendarium ad omnes addit: Monachus hujus Do= mūs.		
	D. Bartholomeus Clautier Bruxellensis prof ^s . hujus Domūs et hoc tempore Prior Capellae qui anno 1382 vi= detur Procurator quod officium iterum agebat a° 1410 . 1407 . hic teste Chronico erat de Progenie D Ludovici Anthonii maximi Benefactoris nostri Bruxellis; addens : iste non obyt in hac Domo puto sed forté in Francia vel alibi, habi: tavit enim in Domo noviomi parum ante mortem, nescio	(216)	ch n° 26

an ibi non obierit, et inde scripsit ad D. Joannem Gerson
Cancellarium Parisiensem de Libris Ruysbrochij qui Can=
cellarius ei rescriptis, unde extant Epistolae. obyt autem
22 Augusti 1426 . vocatur in Procuraturâ Bartolomeus Thonis.

D. Albertus de Lose professus D. Montis Dei, et
Prior hujus Domûs Capellae. kalendarium dicit alias Prior
hujus D. indicans illum in illo officio non esse defunctum
obiit autem 19 aprilis 1412.

(247) HEM 04

D. Joannes van der Vere alibi de Veris, professus
hujus Domûs, qui hic vivebat annis 1373, 1390 et 1395.
et obyt 18 aprilis.

(1807) Ch M 161

D. Waltherus prof hujus Domûs qui hic vive=
bat anno 1390 et obyt 30 Septembris.

(861) Ch M 070

D. Henricus Nullen Prior hujus Domûs annis
1402 ad annum usque 1409 in quo obyt 13 augusti. Visi-
tator Provinciae quae necdum erat divisa.d Dicebatur de pru-
dentioribus viris totius Hannoniae.

(1057) HF 11041

D. Robertus de Ganda Prior hujus Domûs quem
praeposuisse debebam praecedenti, nam Prioratum hic age=
bat a° 1400 . vocatur alibi Descorides, hunc non habet
Calendarium nec est inter professos hujus D. in Cathalogo
anni 1390, videtur aliae Domûs professos, certum tamen
est quod hic Prior dicto anno fuerit ex Registro Litterar
nostrarum antiquarum fol. 275.

(2543) Ch M 214

D. Livinus van Coeckelaer erat hujus Domûs
Procurator anno 1401 usque 1407 dubitatur ex rationibus
in praecedenti allatis an fuerit hujus Domûs professus.

(2027) SMM 100

D. Henricus alter, Prior hujus Domûs : qui in
Calendario obyt 27^a Octobris Moritur supràdictus
D: Henricus Nullen A° 1409 et Prior D. Joannes qui hic
immediaté sequitur huc tantum venit A° 1411 et videmus
immediatum ejus in Prioratu Praedecessorem unum D Hen
ricum cuius Calendarium cognomen non ponit ; hac de cau-
sâ ponitur hoc loco.

?

Incipiunt hic clariora Tempora quae nobis attulit V°
Pater

D. Joannes de Atrebato Prior hujus Domûs
constitutus anno 1411 per Cartam Capituli nri generalis
professus D. Siligniaci in Burgundia, et antè Prior Domûs
in Aquitania quae dicebatur Mortui maris et non diu exti-
tit. Ante ingressum ordinis Carmelita. Sub hujus magni
viri regimine (adjuvantibus Benefactoribus qui scripti
sunt in antiquo Calendario et in novo Benefactorum Catha=
logo) omnia noviter Domûs Edifica constructa fuerunt
Ecclesia magnum et parvum Claustrum cum Tredecim Cel=

(1371)

HFM 054

lis, Refectorium, Capitulum ett^a qui et insignissimos et
optimae expectationis juvenes et viros in ordine recepit
quos ordine videbimus. fuit hic Prior vocatus bonus Pa=

(539)

Ch M 41

D. Daniel de Croeck Gerardimontanus prof hujus Domûs
erat hic Procurator A° 1395 et 1397. obyt 26 novembris.
ante illum scilicet annis 1393 et 1394 erat unus D. Joannes

D. Egidius de Tollebeke monachus prof. hujus D.
postquam fuisset 60 annis in ordine obyt 30^a Marty 1414

(618)

Ch M 50

D. Ludolphus de Bomel monach^s prof 1^o hujus Domûs
2^a Domûs Antverpiae in qua et Prior fuit, obijt 31 Octobris
1422

(2044)

Ch M 183

D. Joannes de Aernhem monachus prof hujus D^s
obyt 20 July anno 1424, licet Chronicon Capellae dicat
illum obiisse ante an 1390, quia Carta Capli gls anni 1425
hunc expressé habet inter defunctos.

(1368)

Ch M 116

D. Joannes Clutinck Bruxellensis monach^s prof^s
hujus D. ante ingressum ordinis monachus Benedictinus
in Hafflighem. obyt 13 Juny 1430.

(1451)

Ch M 123

hujus Domūs Capellae Prior electus est ex Vicario Domus suaे
 5° Augusti 1430 Hic erat de illustri istius nobilis familia Hanno-
 niae quae huic Provinciae magnos Hanoniae Baillivios dedit. hic
 tantae fuit humilitatis ut cum esset hic Prior noluerit aliquid
 aereum postare ne videretur postare aurum : hic athi occurrit B°
 Nicolas Cardinali ordinis nostri . cum eò venisset pro facienda pace
 inter Regem Franciae et Philippum Ducem Burgundiae . cum autem
 hic circa quatuor annos praefuisset magnâ factâ instantiâ abso= (2218) Ch 1194
 lutus et ad Domum suaे professionis remissus est . obyt 24 Novem-
 bris 1447; aedificatâ Capellâ B.V. Mariae ubi nunc ejus imago vene-
 ratur.

D. Nicolaus de 's Gravesande monachus prof hujus D.
 et sacrista, qui obyt 31 Januarij 1433.

Antequam ulterius progrediamur satis curiosum judicavi quod scribit
 auctor Chronicus nostri antiquioris, de tenui statu et aretis Edificijs
 hujus Domūs ante adventum D. Joannis de Atrebato: verba referam.
 Cum autem (inquit) D. Joannes de Atrebato huc advenisset, Domus is-
 ta fuit valde pauper tam in Redditibus quam in Edificijs . Solebant
 autem monachi hujus Domūs stare in Ecclesiâ antiquâ usque ad
 cancellos, it aut manibus suis possent mulieribus lumen porrigerere
 antequam D. Joannes de Atrebato novam Ecclesiam aedificasset quae
 nunc est. + Cellae vero tunc temporis et antè stabant in antiquo
 Horreo et sic ex adverso per quadrum et ubi nunc stat parvus
 ambitus, cella verò Prioris solebat stare circà novam Domum
 propè gradus quibus nunc ascenditur ad novum Hospitium. unde
 in praedicto antiquo Horreo adhuc apparent signa multorum
 caminorum qui erant in antiquis Cellulis Fratrum, coquina verò
 antiquitùs fuit ubi nunc est stabulum Equorum, et Refectorium
 circa ibidem in unà latà Camerâ quae est tabulis strata ubi
 foena solent poni vel blada vel hujusmodi. Ipse verò D. Prior
 Joannes de Atrebato solebat habitare super Cameram magistri Egi= (2218)
 dij Joannis (qui in Calend° Benefactorum) id est quae ulti= Ch 1194
 ma vergit ad plateam in dictâ longâ antiquâ Domo.
 Et sic de Edificijs antiqui Claustris hujus in quibus habitaverunt
 Patres nostri usque ad annum 1411 et posteâ quoisque nova Edi-
 ficia sunt consummata ; nihil remansit nisi illa magna Domus
 quae protenditur veniendo a porta usque ad Coquinam et antiquum

Horreum quod inter Ecclesiam et illam domum stat. Et circa illas duas Domos stat adhuc aliquid de antiquo ambitu ut apparent intuentibus, et etiam illa parva Domus in qua praedicatur est de antiquo ambitu partim, partim de verò de Horreo.

Caetera omnia Edificia sive Cellarum sive aliorum, fecit construi D. Joannes de Atrebato, antiqua deponi et nova aedificari . nescio tamen an parvum novum Claustrum quod dicitur parvus ambitus fuit inchoatus ante adventum ejus si non tunc ipse innovari fecit quamvis omnia Edificia quae nunc sunt, non fuerint tempore vitae ejus consummata, sed Piores qui post ipsum fuerunt, fecerunt multa construi. Igitur D. Joannes de Atrebato fecit aedificari novam Ecclesiam, utramque Gallileam is est utrumque ambitum sive magnum et parvum Claustrum, Refectorium, Capitulum, Cellas novas, non tamen omnes Cellas consummavit; sed alias perfecit D. Joannes Montignies successor ejus. Item posteà D Laurentius tres vel quatuor, et D. Arnoldus unam.

+ Illa Ecclesia et feré omnia illa Edificia cum parvo ambitu in Revolutione Patriae nostrae per Geusios igne combusta sunt prout in ferius referam Deo dante ad annum

D. Henricus de Trajecto monachus prof hujus Domùs et aliás vicarius in ea, obyt 23 July 1433, hujus Parentes benefecerunt nobis pro structura novae Ecclesiae. Scripsit ille missale ante S^m Joannem, et duo volumina Vitae J. Christi auctore Ludolpho nostro. fuit vir vitae venerabilis.

(1085) M. N. 83

D. Godefridus Fabri monachus prof. hujus Domùs qui prout alibi inveni obyt 13 aprilis 1423.

(825) M. N. 76

Sequentes monachi hujus Domùs scribuntur in Cathalogo Religiosorum Domùs in eâ residentium anno 1390, kalendario tamen neglecti sunt inscribi et in eo non inveniuntur, judiae ejus eos ante annum 1440 obiisse quare hoc loco illos ponimus.

D. Joannes Pau monachus hujus Domùs ob. 23 Xbris.

M. N. 152

D. Jacobus de Antverpiâ monachus hujus Domùs

(1248)

~~D. Gisbertus monachus hujus D qui obyt 26 octobris~~

D. Joannes Cock monachus hujus Domùs

Nota ille D Gisbertus vocatur alibi Gyselbertus de Lederdam qui in Cartis Capituli gnlis annorum 1412 et 1429, fuit reprehensus,

et obyt 26 octobris 1441 cum haberet plusquam 50 annos in Ord^o

D. Henricus de Bruxellà monachus prof hujus Domûs
qui anno 1425 hinc missus est Prior ad Domum Belnae, et
obyt 19 octobris.

(1012)

Ch. 1086

D. Petrus Brassart Athenensis monach^s prof hujus D.
qui anno 1416 absolvit hic Libellum quâ manu scriptum qui
hic existat Henrici Coesvelt in die S^{ti} Britij, qui anno 1421
per Cartam Capituli generalis factus est Prior Domûs Abbatis
Villae, et 2^o professus est in Domo Valencenarum. obijt autem
28 decembris.

(233)

Ch. 1085

D. Gerardus Naghel Delfensis Prior hujus Domûs
successit D^o de Montignies, novellus adhuc in ordine, receptus
enim a D^o Joanne de Attrebato circa finem vitae ejus. hic fuerat
in saeculo sacerdos saecularis et in ordine fuit Procurator etiam
et vicarius hujus Domûs. Vir sanctus, zelosus et valde scrupu-
losus -, rigorosus in abstinentijs ordinis et observantijs tam ad se
quam ad alios, nam Jejunia diebus Lunae et mercurij fecit servari
ministrans nec potagium et similiter abstinentiam semel in heb-
domidâ in pane et aquâ: ac propter nimiam rigorositatem vi-
detur absolutus. circa finem vitae suaे fuit ferè totus caecus ita=
u^s pluribus annis ante mortem non celebraverit, sed baculo
palpitando venit ad Ecclesiam vel ducebatur ab aliquo Fratrum,
sed solus communiter erat in suâ cellâ nisi aliquid ministerij
fieret ab aliquo fratum. Prior factus hic per Cartam 1435
et absolutus per Chartam 1437. tandem obyt 1^a Januarij 1471.

(790)

Ch. 1087

D. Henricus Van Voorden monachus 1^o professus hujus
Domûs et secundo D. Sanctae Annae monialium propè Brugas
qui obyt 23 Decembris 1434.

(1088)

Ch. 1088

Tempore Prioratus supradicti D. Gerardi Naghel, scilicet anno 1436
perpetratum fuit homicidium circâ Ecclesiam Capellae nostrae, die
quâ processionaliter circum ferebatur Imago B^o Virginis Mariae.
quare V.P. Prior impetravit a Domino Ludovico Comite S. Pauli et
Domino Terrae Angiana ut ista processio cessaret et amplius annua=
liter non fieret, sicut factum est quamvis de hoc multi de populo
communi praecipue Juvenes dolerent. Solebat etiam Prior et Procura=
tor Domûs personaliter incedere in hâc Processione quae fiebat in

Dominicâ post festum S.S. Jacobi et Christophori. Haec Wallius ex
Chronico

D. Laurentius Musschezeele patriâ Alostanus professus
hujus Domûs post Chartam anni 1437 data electione Conventui
hic Prior electus est. is fuit in ordine receptus a D° Joanne de
Montignies circa annum 1432, et fuerat Alosti Rector Schola-
rum.

(200) 161 179

Cornelius van Gestel in suo Archiepiscata Mechlinensi scribit cum
fuisse ibi Decanum Capituli, quod cum eo et aly dicunt. hoc au-
tem non habent nostra Documenta; nisi forsitan verum sit
quod nobis asseruit piae memoriae R. D. van Uffel Cantor Capitu-
li Harlebekensis qui fuerat antè Canonicus Alosti, Decanatum
fuisse conjunctum Rectoratui tunc temporis fuisse que unam
eamdamque Dignitatem.

Referam hic paucis verbis quae de hoc Venerabili viro scribunt
Dorlandus, Raissius, Bostius Vinchant, Colins et aly quos
vidimus.

Cum dives esset Alosti et magnarum opum, haberetque plures
opulentos Commensales clericos, tactus divino spiritu introrsum,
subito Domûs suae praeclaram supellectilem vendidit et in pau-
peres aurum omne distribuit. quod ut amici ejus agnoverunt,
interrogant cum an stultus factus sit qui sic repente res suas
omnes profundat ac dissipet, quibus ille; Consulit ait Christus
in Evangelio ut si quis cupiat esse perfectus; vendat cuncta
quae possidet ac det pauperibus, nudusque nudum sequatur
pro se crucifixum Dominum. Publicé igitur a Judicibus vel
magistratu prohibitum fuit ne quis aliquid a Laurentio emat.
ille sic coarctatus argentea vasa et speciosa quaeque, integra
ut erant pauperibus erogavit. Dehinc possessionibus cunctis
hoc modo distractis in tantum pauper ut ne obulum sibi vel
unicum retinuerit, Christum pauperem secutus est, itaque ad Car=
tusiam Capellae tendens, pauxillum Cerevisiae quo sitim suam ex-
tingueret emere in via nequivit quia non habebat unde. quod
hic mirandum magis, hic vir Deo dignus anté bonis omnibus
se spoliaverat, quam sciret sibi locum in hâc Domo patere; sed
erat illi fiducia in Deo, non se posse ab eo deseriri, ob cujus amo-
rem omnia desruisset. atque ideo statim ut locum petijit a sacro
Conventu susceptus est Censu pauper sed fide ac devotione ditissi=

mus. Audivi dici quod hanc Domum instituerit haeredem Redditurem

et Terrarum suarunt in Alosto et in Vicinia, unde et provenisse dicunt ea quae et in hanc usque diem Domus nostra ibi possidet; sed hoc licet maximo studio in Chartis illarum possessionum exquisiverim invenire non potui. fratres Conversi duo scilicet f^r Joannes de Alosto et fr Joannes de Teneramundâ in viciniâ Alostensi aliquas nobis terras dederunt, Benefactores varij caetera de quorum numero esse possunt ex parentelâ ejus aliqui ejusdem nominis Musschezele quorum Anniversaria habet antiquum nos=trum Calendarium.

Cum jam hic fuisset receptus et professus, erat in religione conspicuus, vitâ sanctissimus plurimisque a Deo gratijs condecoratus; in Amore Dei et obsequio ejus ferventissimus tamquam lucerna ardens et lucens. divinas laudes dum concineret et D Virginis horas dum legeret tam singulari et ardentи movebatur affectu, ut mirarentur universi atque hunc fervorem annis quadraginta in consuetudinem traxit. tanta saepè inerat illi compunctio cordis, ut uberrimis fletibus abundans loca omnia lachrymis compleret. habebat sub aspectu omnium, tempore divini officij, gratiam singularum et consolationes dulcifluas per quoddam exercitium de Parvulo et Agno divinitùs sibi revelatam.

Prior electus eodem anno cum esset ingens frumentorum inopia et diversa circumquaque loca gravi famis periculo laborarent; et D. Gerardus Naghel Praedecessor V.P. Laurentij vir esset parcus et solaria plena reliquisset annonâ et bladis; ea ille omnia largiter pauperius erogavit pauperum et calamitosorum omnium prodigus Provisor et Pastor. cumque plurima ijs largiretur nunquam tamen vel penuriam pertimuit vel de crastino cogitavit, summâ spe semper ad superna erectus.

Prioratus officium quod non nisi obedientiâ cogente gerebat strenuè per octo annos administravit sed benignè admodum; semper enim erat sollicitus ne quid fratribus deesset, providus animarum curator simul et corporum; uti animarum medius sic tentatis succurrebat et miseris: quin et Rebellibus dum se objectabat, sciens Parcere subjectis et debellare superbos.

Pitantias fratrum et portiones bonas esse volebat et competentes ut eò robustius ferventiùsque laborarent meliusque valerent; strictissimam tamen ab omnibus exigebat statutorum et ordinis observantiam: corrigebat vel corrigere faciebat semper Lectores in Ecclesiâ vel alibi, ut nec Syllabam elabi pateretur vel notulam si cantaret. Si quando videbat aliiquid agi inordinatè vel quod statutis non congruit, acri animadversione saeviens multum ire non

sustinebat. haec tamen agens erat nihilominus maerentium consolator. videres in uno homine duo contraria, nempè ut et rigidus esset et humanissimus dum ratio id poposceret, erat et sicut consolator sic consultor et adhortator egregius. hinc ad illum undique omnes confluebant, nobiles, Divites, sapientes, pauperes, desolati, quos universos bene consolatos atque instructos laetis a se animis dimittebat.

Anno sui Prioratū octavo Hydropisim incurrit eam quam Medici rubeam vocant, quae species prae caeteris difficulter curari potest. pro cuius curatione peritissimus artis medicae magister advocatus fuit, sed vir sanctus fidens in Domine, nequaquam est illum dignatus admittere quo supernus medicus suas illi manus misericordius admoveret. itaque datā occasione ordinariae Visitationis Domūs hujus per V.P. Visitatores Provinciae, Priorum D. Theodorici Terlinck Prioris Domūs Antverpiae et D. Jacobi Rubs Prioris Domūs Gandavi, pro unico ut sibi videbatur remedio; ab eis multis precibus absolutionem a Prioratu petyt quam tandem accepit. hoc onere deposito, aquarum et pondus Deo adjutore depositus et citò vale tudinem integrum recuperavit. haec anno 1445 acta sunt nam eodem hoc anno invenimus visitatam Capellae Domum.

Ejus loco electus fuit Prior D. Henricus de Loe de quo infra; nos ter autem Laurentius fuit institutus Domūs Vicarius, quod officium ad motem usque egit scilicet Triginta duobus annis et ultrà; semper Deo serviens in eadē spiritū fortitudines. sunt qui dicunt hunc Dei servum supernis saepè revelationibus fuisse illustratum et secretis caelestibus nonnumquam transpositum, et a B. Virgine et Martyre Catharinā (quam ingenti diligebat amore) saepius visitatum, a quā et Rosam paradisi pulcherrimam creditur acceptisse, cui conformis est traditio in illa Domo et vetus pictura quae de hac ré in illā extat. alias quia secretum suum uti erat humilis occultandum arbitrabatur nulli hominum hoc revelavit nisi forsan ut putant aliqui, fratri suo Religioso apud Regulares ad septem fontes, viro meritorum sublimium et a se magnoperè dilecto, unde et ad alios derivasse creditur.

Ad hunc sabctā famā celebrem Laurentium, sive Priorem sive vicarium, videndum et audiendum omnes concurrebant undique prae cipuè nobiles: inter quos serenissima Princeps Margareta Eboracensis filia et soror Anglorum Regum, uxor Caroli audacis Burgundiae Ducis; haec solita erat varijs annis ter quaterve ad illum accedere, eum interrogare pijs ejus consilijs parere et adhortationi-

bus delectari, preces ejus ad Deum totiusque Communitatis efflagitare.
 nec saepenumero sola veniebat sed comitata aut Rege Angliae aut
 aliquo Principe nobiliore, nec vacuis manibus, sed altaria Tria
 aut quatuor preces suas fundens, offerebat super illa semper pecu=niarum. summam unde volebat emi haereditates ad ampliandam
 in annuis Redditibus sive proventibus Domum; quas etiam haereditates emptas curavit per Ducem Carolus maritum suum
 amortisari. Ter quaterve annis singulis curabat duci ad hanc Do-
 mum marinorum piscium rariorūmque Pitantias copiosissimas
 et vasa vini vel hispanici vel Rhenani, pro Fratribus inquiebat.
 Ecclesiam etiam ditare non neglexit praetiosissimis ornamenti, casu-
 lis antipendijs ex auro vel argento, sanctorum Reliquijs praeci-
 pue de Oleo S' Catharinae dilectissimae D Laurenty Patronae.
 Dulce admodum et tenerum est legere in Manualibus D Arnoldi
 Kaerman Prioris nostro Laurentio vicario existente, qui Libri adhuc extant,
 quo grato animo haec. piae Principis hujus beneficia describant,
 Recepit tot a matre nostrâ (alio eam non vocabant nomine) quan=de fuit hic; tali die recepimus tales Pisces, tot vasa vini a ma=tre nostrâ; quando mater nostra fuit hic cum tali vel tali
 Principe dedit nobis; et similia.
 Nec soli Patri Laurentio dilectionis et benevolentiae praebebat argu-
 menta pia Margarita, sed Patribus et fratribus omnibus; nam cum
 anno 1474 ad hanc Domum semel venisset, invenit fratrem unum
 conversum Jacobum de Boye graviter infirmantem; illum jussit
 Gandavum duci ubi tunc temporis habitabat, ut ibi a suis me=dicis curaretur, sed spe frustrata fuit nam ibi ex infirmitate
 obiit . sepultus apud Carmelitas . tum procuravit nobis a Duce
 marito suo plenam Bonorum acquisitorum amortisationem.
 Scribit D. Joannes Ammonij de Arenâ auctor secundi Chronici, se
 audivisse narrari a D Judoco Van der Clyen hujus Domûs professo
 qui juvenis vixerat cum D° Laurentio nostro sequentia: quoties
 in quiebat, absente Priore Pater Laurentius visitandi gratiâ ve=nit ad me in Cellam, sermonibus suis et exhortationibus, sic
 me erexit stabilivit et confortavit; ut postae per duas hebdo=madas mihi gratiam Dei sentirem adesse . eram siquidem pro=nior ad modestiam, proclivior ad pietatem promptior ad fra=ternam dilectionem et ferventior in precibus subtilior in divi=narum contemplatione et in cunctis observantys ordinis pu=blicé et privatim alacrior.
 Vivebat hoc tempore Inclitus et Illustrissimus Dominus Ludovi-

cus Luxemburgensis Comes S. Pauli et Dominis Terrae Angiensis, hic tam titulo familiae Fundatoris nostri, quam ex optimâ famâ Laurenty nostri et confratrum ejus . singularis erat amicus Domùs fautor et Benefactor. huic Laurentius noster multum dissuaserat ne Regis Galliae oblatas conditiones et dignitates acceperet; quod fecit nihilominus, factus Galliarum Comes stabuli et Exercituum Praefectus. Anno autem 1475 Regis gratiâ quâ amplissimè fruebatur excidit, et a Carolo Burgundiae Duce ad quem confugerat, imprudenter traditus est Ludivico Galliae Regi; qui eum ut lesae majestatis criminis reum in publico Theatro Parisijs jussis capite plecti quod fuit executum 19 Xbris ejusdem anni, mortuus autem benè praeparatus in voluntate Dei plenissimè resignatus, summâ patientiâ constantiâ et religione mirabile est quod habent hujus rei scriptores scilicet in; Ducem Burgundiae Carolum post illam pactionem et traditionem, quasi a divinâ protectione derelictus fuisset omnia pene dira et infausta usque ad mortem incurrisse.

Laurentius autem noster omnia quae Parisijs detento Principi Ludovico Angiae Domino accidebant; angustias ejus condemnationem ejus et momentum mortis ejus quae ex revelatione divinâ sciebat, statim denuntiabat confratribus, hortans eos ut secum pro suo Pricipe flagrantes praeces effunderent ad Deum.

Circà finem vitae D° Laurentij nostri, Jacobus de Croij juvenis Princeps ad hanc Domum frequenter se conferebat ut eum qui omnium ore miraculis erat celebris inveseret . hic verbis et moribus D Laurentij ita compunctus erat ut locum inter Confrates postularet, hanc intentionem V. Pater noster illum iussit mutare et abjicere asserens eum a Deo ad altiora destinatum ut majores in Ecclesia fructus redderet: quod verum fuisse probavit eventus; nam primò factus est Ecclesiarum Cathedra- lium Leody et Atrebathi Praepositus, Decanus St Audomari dein= de Cameracensis Episcopus.

Sicut devotionem maximam habuisse Patrem nostrum erga B^a Virginem et Martyrem Catharinam hic supra vidimus; sum= mopere etiam colebat B.V. et Martyrem Barbaram, nam eo instigante ut credimus Conventus Capellae supplicam Generali nostro Capitulo praesentavit humiliter rogans ut festum ejus qui in ordine nonnisi ritu simplici celebratur, agi hic posset ritu dupli et cum Capitulo quod concessum fuit A° 1449 . et

hactenùs perseverat.

Longo ante mortem tempore Tibias habuit horrendis ulceribus deformatas exesas et putidas e quibus vermes innumeri scaturiebant: qui rodentes tabefactam carnem, immanissimis eum doloribus exagitabant . quorum tanta erat copia ut foris sub aspectu Fratrum ebullirent. Patientia opus perfectum habet, ut merito sanctum vocitemus et perfectum quem in magnis adversitatibus invenerimus patientem. in ijs poenis maximis, nedum patientissimus videbatur Laurentius noster, sed et jucundissimus: exultans et laudans et gratias Dei agens, et tamquam prudens mercator sciens his doloribus, mansuras semper delicias emereri. Haec ubi praefata Princeps Margarita rescivit egregium illi chirurgum misit a quo curaretur: sed vir sanctus sciens his poenis sibi merita cumulari. Chirurgum repulit dicens: medicus meus Dominus est Jesus Christus, huic me integrum committo qui dum volet poterit me curare. Tantam quoque patientiae vim exercebat dum illi tibiae aut mundarentur aut ligarentur; ut pene sine tactu esse putaretur. cumque resolutionis suae dies instaret quo tantorum coronam caperet meritorum visitatus est a conventu et ultimis Ecclesiae sacramentis munitus , Priore suaviter illum confortante et ut agonem suum constanti exornaret animo cohortante cui ille respondit: Ego mi Pater nec mortem timeo nec diabolum mortis auctorem, neque infernum, roboras Dei gratiâ pertimesco: id enim mihi Parvulus quem colui et Dei Agnus consulerunt. Haec verba ejus penè fuère novissima cum quibus et animam in manu Salvatoris consignavit ferventissimâ fide et charitate munitus. in profesto almae Barbarae patronae ejus: anno 1477.

Addit Raissius et aly cum illo, quod eadem die quâ cessit è vitâ (uti a triginta annis spoponderat) praefato Principi Jacobo de Croy mortis suae diem intimaverit et hoc per ictum quem sensit in dorso; quod palam ipsem narravit multis et precipue eadem die quâ Lovany in Domo Cartusianorum in Episcopum Cameracensem est consecratus.

Quot et quales viros cum Prior esset ad ordinem ille receperit videtur in sequentibus.

D. Theodoricus de Busco monachus prof^o hujus Domûs missus fuerat Leodium et per Cartam Capituli generalis anni 1416

(2635) Ch M 12¹

ad hanc Capellae suae professionis Diem remissus . obyt 29^a novembris 1438.

D. Arnoldus Campengoen monachus professus primò Domūs Vallis Sti Petri, et secundo hujus Domūs Capellae. qui anno 1426 ex hāc Domo ad Vallem S^a Petri fuerat remissus sed non diu post iterum ad hanc Domum remissus est. Hic teste Chrenico fuerat quondam Vicarius, eratque Vir devotus et humilis vixitque usque ad decrepitam senectusem. Scripsit multos pulchros Libros tria magna antiphonaria quae tempore Chronicorum erant antiquiora in Choro nostro, unum Graduale, item Breviarium praeformatum P. Prioris et etiam Procuratoris, unum Psalterium, unum Diurnale et alium parvum Librum pro diurno tempore in Ecclesiā et alia varia que non constant. obyt 30 junij 1440

(225) Ch M 1017

D. Gyselbertus de Lederdam monachus prof hujus Domūs de quo suprà fol 10 et debebat hic poni, obyt 26 octob: 1441 Hic scripsit partem aestivam Homiliarum quā tempore Chronicorum utebantur et unum Antiphonarium in duabus voluminibus et alia multa.

(813)

Ch M 674

D. Joannes de Haycruyssen monachus professus hujus D. et secundā postmodum professione Domūs S^ae Anna Monialium propè Brugas. considerati facile potest qualis hic vir fuerit, quippè qui magister novitiorum fuit et D Laurentium Musschezele in spiritualibus educavit (obyt 7^a septembris 1442) vel potius illum stabilivit.

(1530)

Ch M 135

D. Henricus de Loe Lovaniensis monachus professus hujus Domūs receptus a D^o Laurentio Priore, anno 1441 quo sancto viro absoluto ut suprà vidimus anno 1445, hic ex Vicario electus est Prior. de hoc Viro pariter sancto, describam quae habent Dorlandus, Bostius et aly cum illis praecipue Wallius Bruxellensis. Hic fundatā Lovaniensi academiā circa annum 1425 per Joannem 4^o Brabantiae Ducum Hannoniae et Zelandiae Comitem, cum undique ad illam convocati, docti Professores in jure in Artibus ac demūm in sacrā Theologiā advenissent; in primo concursu quem absoluto biennio Studij Philosophiae instituerant Facultatis Artium Professores, Primus proclamatus fuit et gloriosam hanc lauream obtinuit.

(1038) Ch M 1087

Studio deinde Theologico se totum dedit in quo tales progressus fecit ut pro celeberrimo Theologo haberetur et Baccalaureus. fundavit tum cum D° de Valkenisse Paedagogium Porcense in quo primus fuit Regens et docuit aliquot annis: electus etiam fuit universitatis Rector Magnificus. Tanta vir ille piotate et virtute erat praeditus, tam insignis eloquentiâ prudentiâ que, ut paucos habuerit coequales. sed arridentes sibi unde quaque fortunas subito sternens universitati mundoque valedixit die 19 July 1441 et ad hanc Cartusiam se confe= rens locum in eâ petijt quem obtinuit. In novitiatu quam humilis, mitis, sobrius sedulus ac timoratus fuerit nemo satis explicare potuit, itaque ad professionem facile admissus est, et professus non diu post vicarius institutus est, quod ostendit illum in ingressu ordinis fuisse sacerdotem.

deinde anno 1445 ut suprà vidimus, in visitatione Domûs ad suam maximam instantiam a Prioratu absoluto D° Laurentio de Muschezele, hic D. Henricus de Loe Prior a Conventualibus electus est et confirmatus. tam splendidâ semper virtute et tantâ in omnibus humanitate clarebat ut a totâ Provinciâ Pater Patrum sit merito semper appellatus. qui cum sibi durus et rigidus esset, erat tamen erga singulos humanissimus; et licet esset Literis famâque celebris erat tamen sibi pauper et modicus et in suis oculis humillimus; ad subditos vero pius admodum Parenst mansuetus lenis suavis zelum gerens sed secundum scientiam. ad Dominum Deum suum erat devotus ardens sollicitus sanctificationem perficiens in timore Dei. Habebat quoque hic sanctus Pater hoc praecipue in se bonum ut si quando inter fratres orta esset contentio, nunquam se sopori ad vesperam dedisset nisi inter dissidentes pax et tranquillitas resedisset. Si quem fratrum aut tentatum sciret aut miserè afflictum, sedebat cum illo usque in seram noctem et monita salutis inserebat, donec ad meliorem mentem illum revocasset. amabat plurimùm eos fratres qui spiritualibus sese operibus mancipabant: deinde eos qui scribendis sacris voluminibus operam impendebant asserens: non minorem fructum hos agere calamo et digitis quam qui linguâ et sermonibus populo Dei verba praedicant. visus est aliquoties inter celebrandum, sursum ab humo sustolii et aliquandiu in aere dependere: ut illuc

levaret carnem quo jam ante mentem praemiserat suam.
 Nondum finito Prioratū biennio, anno scilicet 1447 delatā
 Romam usque viri hujus famā, per Bullam Pontificiam
 datam 5^s Idus Januarij, committitur illi visitatio et reforma=
 tio monasterij Ter Sterren Wilhelmitarum in oppido Alostensi
 cum plenā potestato, quod cum Priore de Duren Coloniensis
 Diocaesis (Wilhelmitarum forsan ordinis) egregiè est executus.
 Anno 149 factus est in generali ordinis Capitulo Convisitator
 hujus Provinciae, in quo etiam generali Capitulo sequenti an
 no collationem habuit.

Ut describam quā ratione Vir hic noster venerabilis translatus sit ex
 nostrā Domo ad Rectoratum deindeque Prioratum novae Domūs in
 Scheut propè Bruxellas, utor verbis sequentibus D Adriani Dul=
 laert Secretary urbis Bruxellensis, in Libro manuscripto mira=
 culorum B^a Virginis in hoc loco invocatae et fundationis ejusdem
 Cartusianaē Domūs.

Anno inquit 1453, ascenderunt in cor meum recommendatae
 vitae probitas, morum honestas, excellens scientia ac antiqua
 honesta et scholastica Lovaniensis notitia venerabilis *et constan= en*
 tis ac probatae religionis Viri Magistri Henrici de Loe in sacrâ
 Theologiâ per rigorem examinis Licentiati pro tunc Domūs
 Cartusiensis Capellae de Herne extra Angiam professi et Prioris.

.....hujus proposito habito consultum est D^o Henricus de Loe
 per Litteras Bruxellas vocari, quo personaliter compares inter
 eum, et D^m Ammanum et quosdam de lege conclusum est ut
 ipse Prior Capellae desuper loqueretur cum magistro Jacobo Rubs
 Priore Cartusiae Gandensis ac Provinciae Visitatore, locumque
 visitarent an esset congruus monasterio aedificando. cunctaque
 in proximo Capitulo, Reverendo Patri et Diffinitoribus patefacerent
 approbata fundatione tandem a senatu Bruxellensi, anno 1455
 ferià 2^a post octavas Paschae scilicet 14 aprilis inceptum est
 operari pro construendo monasterio fratribus ordinis nostri in
 Scheut, quo Prior Capellae miserat f^m Godefridum Conversum sut
 intenderet operi faciendo.

Approbata deinde ab Episcopo Cameracense, fundatione et consecrata
 Ecclesiā: anno 1456 in vigilia nativitatis B^a Virg Mariae, can=
 tata fuit missa de Spiritū sancto a D^s Arnoldo de Helmont Priore
 D Antverpiae et congregatis Patribus, alterā die divinum officium
 et summam missam de solemnitate cantavit Prior D Capellae
 Provinciae Convisitator.